

PROÆMIUM.

Meditanti mihi aliquando ad tex-
tum Apostoli I. ad Corint. cap. 7.
Si infidelis discedit discedat, non
enim servituti subiectus est frater
aut soror in hujusmodi, num parti
conversæ alteras ineundi nuptias fa-
cilitatem impertierit gentium doctor,
incidere sorte in manus, quæ in u-
tramque partem celeberrimi nationis
Gallicæ cauſſidici de hoc casu scrip-
ferunt, cum ea ſuper quæſtione lis
mota fuiffet 1758. coram parlamen-
to Parisiensi, ad quod provocatum
fuerat per appellationem, ut vocant,
ab abuſu, a ſententia ab illuſtrissimo
Sueffoniensium epifcopo lata, qua Ju-
dæum converſum a ſecundis nuptiis,
priori uxore adhuc vivente, arcebat.

Scriptis illis inhæſi diu, nec me
aut testimoniorum authoritas, aut
ſtyli amænitas moverunt, ut in unam
potius quam alteram ſententiam

irem. Rem maturo examine expendi, antiquam ecclesiæ disciplinam diligenter exquisivi, theologorum ac canonicistarum argumenta ponderavi; & eo tandem disquisitiones me meæ adduxerunt, ut de insolubilitate matrimonii, etiam in casu Apostoli, minime dubitaverim.

Hæc jam gravioribus distentus studiis prope oblivioni tradideram, cum in lucem prodiisse conspexi dissertationem a theologo Lovaniensi conscriptam, qua pro hujusmodi matrimoniorum solubilitate, quasi pro aris & focis dimicat. Nec multo post dissertationis illius confutationem vidi, solidissimis instructam argumentis, quam ediderat ejusdem academiæ jurisconsultus, in iis, quæ ad primævam ecclesiæ historiam ac praxin pertinent, versatissimus. Hæc tum quietura credideram, cum theologus nova lucubratione, eaque admodum difusa, jurisconsultum denuo provocat, de certa jam victoria sibi gratulans.

Rebar futurum, ut hic non ab armis cessaret, cum tot ad hostem profligandum superessent copiae: verum seu vanos theologi conatus nec ultra refellendos reputaverit, seu aliis curis detento in arenam rursus descendere non vacaverit, silere illum animadverto. At non attendit forte vir clar., suum apud exteris silentium causae, quam tuetur, imo suae ipsius aestimationi officere aliquando posse, atque inde invaliditum systema, quod erroneum appellare non reformido. Ut ut sit, ejus nunc partes suscipere ausim, non viribus innixus meis, sed causae bonitati confisus. Non mela-
tet quem in me virum concitem: nota namque mihi est ejus in locis theologicis acute pertractandis perspicacia, qua sibi nomen celebre, nec im-
meritum, fecit.

Itaque ab illo limite, a quo juris-
consultus Lovaniensis desit, rem or-
diar, atque dissertationi illius histo-
rico canonicæ, certamen meum theo-

logo-juridicum inseram, & si ominari fas est, illud inire canabor non infelici successu: eruditorum cœtus judex esto, illi eant in consilium, decernant, quis justius induit arma.

Hoc tamen monitum lectorēm velim, si aliquando e calamo verbum aliquod, quod offensionem redoleat, præter sententiam exciderit, non illud mihi acerbatis aut procacitatis vitio vertat; sed verius scribentis effervescentiæ tribuat. Absit sane a me theologum illum ulla in re lædendi animus; excusabit profecto ipse verba, si mentem norit, quæ colit illum plurimum, addicitionumque eius studium e longinquo profitetur.

